



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Petro Colimbriensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

PETRO COLIMBRIENSI
Episcopo.

Epist. 314.
Ea que decessores
juste haec-
entis possederat,
ipsi confirmat.

Sacro sancta Romana Ecclesia &c. *Susque ad verbum* inclinati, personam tuam & Colimbriensem Ecclesiam, cui auctore Deo praesse dignosceris, cum omnibus bonis &c. *usque ad verbum* suscipimus. Specialiter autem Ecclesias de Covilian. & de terminis ejus ad exemplar bonae memoriae C. Papae praedecessoris nostri, & omnes possessiones laicales quas tam praedecessor tuus quam tu in praedictis villis & ejus terminis acquisistis, sicut ea juste possidetis & quiete, tibi & per te praefatae Colimbriensi Ecclesiae auctoritate apostolica confirmamus, & praesentis scripti pagina communimus. Decernimus ergo &c. Datum Laterani VII. Idus Januarij.

I. C A P E L L A N O
& S. Subdiacono, familiaribus nostris,
apostolica sedis Legatis.

Epist. 315.
Pallium non
conceditur nisi
Metropolitani.
Vide supra epist.
315.

Post dies aliquot ex quo a nostra praesentia recessistis, ex relatione quorundam & inspectione libri censualis camerae nostrae nobis innotuit quod Antibaren. Ecclesia inter suffraganeas Ragusan. metropol. numeretur. Unde cum tu fili I. librum illum inspexeris, miramur quod facta tibi copia libri praemissi, nobis non aperuisti expressius veritatem. Quia vero non est nostrae intentionis statum Ecclesiarum evertere, devotioni vestrae auctoritate praesentium districtius inhihemus ne Antibaren. electo Palleum aliquatenus concedatis, nisi vobis constiterit ejus praedecessores fuisse Palleis decoratos, & dignitatem metropolitancam habuisse. Ne autem iter vestrum & legationis processus valeat aliquatenus impediri, eisdem personis, quibus per vos apostolica scripta dirigimus, sub eodem tenore literas nostras transmittimus, dempto capitulo quod faciebat de Palleo mentionem; ut utraque penes vos habentes, vel primas vel secundas, prout opus fuerit, praesentetis. Datum Laterani VII. Kalendar. Februarij.

A R C H I P R E S B Y T E R O
& Canonice basilicae principis Apost.

Epist. 316.
Sicut erga illos
benevolentiam &
munificentiam
declarat.

Derivata in nos ab Apostolorum principe per ipsius merita potestatis ecclesiasticae plenitudo & apostolatus

successio, non ratione carnis per hominem legitime procreata, sed per Deum ipsius gratia canonicè facta, inter ceteras sollicitudines cordis nostri & occupationes, quibus quotidie premimur, utpote quibus sollicitudo universarum Ecclesiarum incumbit, ad honorandam ejusdem principis Apostolorum basilicam specialiter nos inducunt, ut cum Propheta psallamus: *Domine, dilexi decorem domus tuae & locum habitationis gloriae tuae.* Sanè cum Dominus noster in beato Petro, cui nos licet immeritis constituit successores, in spiritualibus prae-tulerit universis, & Ecclesiam in temporalibus etiam dilatarit, conveniens esse dignoscitur ut eidem beato Petro in vobis, immo Christo in eo qui nobis exhibuit universa, etsi modicum, tamen aliquid tribuere studeamus, affectum nostrum in effectum humiliter perducetes. Dignum est etenim ut quia variis pressis negotiis, dum circa lapsam religionis nobis propositum in melius reformatum intendimus, dum justitiae consulimus oppressorum, dum singulorum consultationibus respondemus, dum ad reformatum inter discordantes pacis concordiam & pro diversis Ecclesiarum & provinciarum necessitatibus Legatos a latere nostro dirigimus, dum de terrae orientalis subventionem pensamus, principis Apostolorum basilicam dignis obsequiis frequentare non possumus, aliquibus munusculis honoremus, nihil in hoc Apostolorum principi largientes de proprio, sed de suo potius rependentes. Verum cum decor Ecclesiarum & earum thesaurus praesertim pendeat ex personis quae ipsis deserviunt & Domini laudes horis intonant constitutis, psallentes ei tam ore quam corde; vos, qui ad honorem Apostolorum principis in ejus Ecclesia Domino jugiter deservitis, invocantes nomen ipsius, & voce consona modulantes laudes ejus, * immo beatum Petrum in vobis tenui devotionis nostrae munusculo decrevimus honorare; sperantes quod qui minuta viduae pauperis acceptavit, nostrae quoque humilitatis acceptabit affectum; non quid, sed ex quo potius tribuamus, attendens. Ea propter, dilecti in Domino filij, tam redditum, quem de signis plumbeis sive stagnis Apostolorum Petri & Pauli imaginem praefertentibus, quibus eorum limina visitantes in augmentum propriae de-

* Deest heic ali-
quid.